

positurus es, quid optimum factu sit existima. equidem 2  
 ego cuncta imperia crudelia magis acerba quam diu-  
 turna arbitror, neque quemquam multis metuendum  
 esse, quin ad eum ex multis formido recidat: eam  
 vitam bellum aeternum et anceps gerere, quoniam ne- 5  
 que adversus neque ab tergo aut lateribus tutus sis,  
 semper in periculo aut metu agites. contra qui benigni- 3  
 tate et clementia imperium temperavere iis laeta et can-  
 dida omnia visa, etiam hostes aequiores quam aliis  
 cives. haud scio an qui me his dictis corruptorem vic- 4  
 toriae tuae nimisque in victos bona voluntate praedicent. 11  
 scilicet quod ea, quae externis nationibus naturā nobis  
 hostibus nosque maioresque nostri saepe tribuere, ea  
 civibus danda arbitror neque barbaro ritu caede cae-  
 dem et sanguinem sanguine expianda. 4. an illa, quae 1  
 paulo ante hoc bellum in Cn. Pompeium victoriamque 16  
 Sullanam increpabantur, oblivio interfecit: Domitium,  
 Carbonem, Brutum, alios item non armatos neque in  
 proelio belli iure sed postea supplices per summum  
 scelus interfectos, plebem Romanam in villa publica 20  
 pecoris modo conscissam? eheu quam illa occulta ci- 2  
 vium funera et repentinae caedes, in parentum aut libe-  
 rorum sinum fuga mulierum et puerorum, vastatio do-  
 muum ante partam a te victoriam saeva atque crudelia  
 erant! ad quae te idem illi hortantur: [et] scilicet id cer- 3  
 tatum esse, utrius vestrum arbitrio iniuriae fierent, ne- 26  
 que receptam sed captam a te rem publicam et ea causa  
 exercitus stipendiis confectis optimos et veterrimos om-  
 nium advorsum fratres parentisque [alii liberos] armis